



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

33. Quòd secundum Doctores multum interest inter Sapientiam &
Scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

per contemplationem profecisse, quàm plures magni clerici & religiosi literati proficiunt. Cuius rationem assignat Gerson in suo monte cōtemplationis: quia ista vita contemplatiua melius acquiritur per bonam & simplicem humilitatem, quàm per magnam literaturam, sicut dicit Salomon de Dei sapientia, quòd ipsa graditur cum simplicibus, & cum eis est sermocinatio eius. Et ideo in alio loco nobis præcipitur: **Quærite Deum in simplicitate cordis: quia ipse est simplicissimus, & inuenitur per simplicitatem.**

DE DIFFERENTIA INTER SCIENTIAM, & sapientiam.

CAPVT XXXIII.

Magnam differentiam assignant Doctores inter sapientiam & scientiam: & præcipue beatus Bernardus: quia scientia conuenit intellectui & ipsi soli: sed sapientia pertinet ad affectum. Et ideo secundum nominis Etymologiam, sapientia interpretatur quasi sapida scientia: qui sapor pertinet ad affectionem, desiderium, appetitum, & voluntatem illius personæ cui sapientia inest. Et idcirco potest esse in aliquo magna scientia vel cognitio: in quo erit modica, vel nulla sapientia. Ratio huius est, vt dicit Gerson: quia non habet saporem, vel affectionem ad illud quod scit. Et declarat hoc per aliqua exempla. Potest quis cognoscere naturam mellis, quia forte audiuit aliquando de ea loquentes alios, vel in aliquo libro legit, sine hoc quod aliquando mellis dulcorem degustauerit. Rursum

sum medici sciunt languorum naturam, & frequenter melius quàm idem languidus: sed quantum ad doloris sensum, manifestum est ipsos ægros melius scire ægritudines non per rationem scientiæ, sed ratione experientiæ. Simili modo potest quis habere maximam notitiam alicuius personæ, sine hoc quòd habeat magnam affectionem amoris vel odij, complacentiæ vel displicentiæ ad illam. Et ex alia parte potest quis multum affici, amore vel complacentia, erga aliquam personam absque eius magna cognitione. Secundum ergo prædicta possumus videre, quomodo in aliquo potest esse magna sapientia sine multa scientia: & magna scientia, sine multa sapientia. Ex prædictis claret quantum distant ad vacandum cõtemplationi deuoti simplices, & illiterati; & literati indeuoti.

*QUOMODO VITA CONTEMPLATI-
ua debet incipere à labore actiua.*

CAPVT XXXIIII.

Primus gradus pertinens ad statum incipientium & imperfectorum, est humilis confessio pœnitentia mediante: qua quis in se amorem mundi cum prauis concupiscentiis mortificat ac motus illicitos, & prauas consuetudines. huius est carnem castigare & domare, ne rationi rebellet, sed ei subiiciatur, & hoc facit per ieiunia, vigilias, abstinentiam, afflictiones, lacrymas, gemitus, & assidua suspiria, & per laborem corporalem à Prælatis iniunctum. Qui ante talem pœnitentiam, vel sine huiusmodi labore & exercitio